



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. III. Vtrum possit per pœnitentiam vnum peccatum sine alio remitti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

luntatem eius, qui dicitur peccator, quod videlicet propria voluntate peccauerit, quem respectum non dicit peccatum originale. Resp. quamvis id aliquo modo possit facere, ut Deus non requirat penitentiam ad remissionem unius peccati; quam tamen requirit ad condonationem alterius; non tamen ostendit omnino repugnare uni, quod convenit alteri eiusdem planè rationis, nec ostendit Deum, qui potest unum peccatum condonare sine vilo motu eius, cui sit remissio, non posse similiter condonare alterum sine vilo motu eius qui peccavit. quid enim necessitat Deum, ut debeat huiusmodi motum requirere ad condonandum peccatum?

Dices ipsam peccatoris aversionem id exigere.

Resp. hanc aversionem sufficienter tolli, etiam moraliter per gratiam habitualement, per quam homo constituitur Dei amicus, & ad illum conversus.

Confirm. 1. nihil repugnat gratiam habitualement infundi sine vilo praevio actu voluntatis, quo peccator censeatur peccatum retractare; gratia autem saltem secundum conditionem naturalem non compatitur secum peccatum, igitur peccatum secundum naturalem exigentiam gratiae debet condonari ei, cui infunditur gratia; atqui Deus non tenetur quidquam facere praeter gratiae exigentiam eo quod gratiam infundat homini absque eius cooperatione. Confir. 2. responsio & simul

112.

Prob. 2.

Probatur 2. propositio. contritio, dilectio Dei super omnia, vel quilibet alius pius motus voluntatis solum se habent tanquam dispositiones ad gratiae habitualis receptionem, & peccatorum remissionem; nihil autem repugnat Deum sine praevia dispositione gratiam infundere, atque adeo peccatum remittere; quia agens infinita virtutis non necessarii praerequirat dispositiones in subiecto, ut suum effectum in illud inducat.

Dices id esse verum de effectu physico non verò de morali, qualis est peccatorum remissio.

Resp. videri multò minus posse ostendi omnimodam necessitatem dispositionis pro effectu morali. quid enim necessitat Deum ad expectandam huiusmodi dispositionem? & cur Deus non possit condonare offensam in se commissam, quamvis homo ad illam remissionem obtinendam non se preparaverit? si princeps possit remittere offensam in se commissam absque vlla retractatione eius, qui offendit, imò & cum ad suam amicitiam admittere, cur id Deo debeat denegari?

113.

Prob. 3.

Probatur 3. penitentia quae maximè conformiter naturis rerum exigitur, est contritio, sine qua tamen peccatum remitti potest in nova lege per Sacramentum, scilicet per attritionem, ergo signum est contritionem non requiri omnimodam necessitate. item non videtur requiri attritio saltem per ordinem ad potentiam Dei absolutam. cur enim requiratur dispositio, quae secundum naturalem suam conditionem minus est proportionata remissioni peccatorum? poterit ergo Deus peccatum remittere sine omni etiam attritione, & per consequens sine omni motu, quo peccator censeatur peccatum retractare.

Neque ex dictis sequitur peccatum, quod actu committitur, & dum actu committitur, posse remitti; quia si gratia nequeat cum peccato consistere, in tali hypothesi non poterit infundi, cum homo pro eo instanti sit sub conditione directè repugnante gratiae; cum ex hypothesi actu peccet, & ex alià hypothesi gratia non possit cum peccato

consistere: in nostro verò casu non est idem instanti, in quo homo sit sub statu peccati mortalis & habeat gratiam, cum in primo instanti productionis gratiae homo destinat esse aversus à Deo. vltimè. Dico repugnare eum, qui actu avertitur à Deo, non averti ab illo pro eodem instanti, & proinde peccatum ei dimitti pro eo instanti, siue gratiam infundendo, siue absque eiusdem gratiae infusione, de quo in praesenti non disputo.

Et quidem haec ostendimus Deum posse remittere homini peccatum sine vilo eiusdem motu, quo se praearet ad hanc remissionem obtinendam, ostendimus, inquam, fieri posse per gratiae habitualis infusionem, quae ex se non requirit omnimoda necessitate hominis preparationem, quod ostenditur: quia varij censent gratiam sanctificantem primò concessam Angelis, & primo parenti absque vlla suà preparatione per bona opera.

Utrum autem similiter remitti posset peccatum absque vilo actu peccatoris, atque adeo absque vlla eiusdem peccatoris internà mutatione physica, scilicet per simplicem Dei condonationem, quā Deus velit homini peccatum remittere: quemadmodum princeps per similem actum condonat offensam, commodius disputari potest in materia de iustificatione 1. 2. q. 113.

D. Thom. initio citatus nostrae conclusioni non repugnat: commodè enim potest intelligi de impossibili secundum legem Dei ordinariam, seu secundum leges naturae rerum convenientes, non verò de impossibili absolute, quod oritur ex repugnantia contradictionis. videri potest Caiet. in hunc articulum §. in eodem articulo adverte, & Suarez in commentario eiusdem articuli.

Explicat D. Thom. immo citatus.

ARTICVLVS III.

Utrum possit per penitentiam unum peccatum sine alio remitti?

NEGAT.

Notandum conclusionem intelligi de peccato mortali, quae intellecta de lege ordinaria est de fide; cum sit de fide peccatum mortale non remitti, nisi is cui sit remissio admittatur, ad divinam amicitiam, & ius acquirat ad regnum caelorum, quod non sit remanente homine in aliquo mortali, ratione cuius remanet inimicus Dei, & dignus eternis supplicijs. Eandem conclusionem optimè probat D. Thom. 1. peccatum mortale non remittitur absque infusione gratiae sanctificantis, quae saltem de lege Dei ordinaria excludit omne peccatum.

Resp. neg. 115. Conclusio. Causa.

2. Peccatum mortale non potest remitti sine verà penitentia, quae avertit hominem à peccato sub ratione communi omnibus peccatis mortalibus, & proinde eodem modo illum disponit ad obtinendam remissionem omnium mortalium.

Aduerte S. Thom. in hac 2. ratione per veram penitentiam intelligere perfectam, quae scilicet vltimò disponit extra Sacramentum ad obtinendam peccatorum remissionem non verò velle omnem etiam imperfectam penitentiam auertere à peccato sub motivo omnibus mortalibus communi, ut satis patet ex textu. in eà ergo ratione vult nullum extra Sacramentum consequi remissionem peccati absque verà, & perfectà penitentia, scilicet formali vel virtuali; haec autem saltem virtute sese extendit ad omnia peccata, &

116.

ca, &

ta, & proinde peccator per talem penitentiam disponitur ad acquirendam remissionem omnium peccatorum, ergo extra Sacramentum peccatum mortale non potest absque alio mortali remitti. supponit verò neque remitti vnum sine alio in Sacramento, quod etiam est de fide.

Tertia ratio, dimidiata venia esset contra perfectionem diuinæ misericordiae, cuius perfecta sunt opera vnde in libro de verâ & falsâ penitentia cap. 9. dicit August. *Quidam impietas infidelitatis est, ab illo qui infusus est infusio est, dimidiam sperare veniam.*

Difficultas esse potest, an etiam de lege absoluta vnum mortale non possit remitti sine alio. varij negant, affirmant alij posse, quorum sententia videtur probabilior, quam sequitur Suarez disp. 10. sect. 1. num. 3. prætermisso fundamento Scoti, quod vltimo dubio articuli præcedentis censuimus esse omnino impossibile.

Probat, quia vt aliqui tradunt 1. 2. potest Deus remittere peccatum absque infusione gratiae per simplicem condonationem iniuriæ, quod casu non tenetur omnem iniuriam remittere, quæ enim in hoc repugnantia?

Confirm. eo quod homini remittat peccatum, non tenetur eundem ad suam amicitiam admittere. 2. aliqui probabiliter censent qualitatem, quæ est gratia, posse infundi homini, licet nullum peccatum ei remittatur, ergo ex eo etiam capite non est repugnantia, ob quam Deus vnum peccatum non possit absque alio remittere. simili modo possumus ratiocinari de penitentia, quâ posita non tenetur Deus peccatum condonare.

Neque repugnat S. Tho. quia non vult omnino implicare contradictionem vnum peccatum sine alio remitti, sed quod sit impossibile secundum legem Dei ordinariam consentaneam providentiæ supernaturali. cum verò hic in prima ratione, & alibi docet peccatum non remitti sine gratiâ, potest intelligi quod velit non remitti sine gratiâ, si homo ad statum pristinum sit reducendus, & perfecto modo admittendus ad diuinam amicitiam: id enim fieri non potest sine gratiâ infusione, cum ab ea per peccatum excederit, & proinde, nisi eam recipiat, non sit perfecte pristinum statum recuperaturus. quo non obstante non repugnat aliquod peccatum ita homini condonari, vt tamen ad diuinam amicitiam non admittatur; imò propter alia peccata remaneat iniustus, à Deo avertus &c.

ARTICVLVS IV.

Vtrum remissa culpa per penitentiam remaneat reatus pœnæ?

NOTANDUM id posse duobus modis intelligi. 1. vtrum remissa culpa necessario remaneat aliqua obligatio ad pœnam subeundam, 2. an saltem possit remanere, seu vtrum aliquando remaneat talis obligatio. prior sensus non est intentus à D. Tho. hic, sed secundus.

Et quidem quaestioni in priori sensu intellectæ responderetur remissa culpa per penitentiam non necessario remanere vllam pœnam persoluendam, quod patet in remissione, quæ fit per baptismum. nam si baptizatus sufficienter disponatur etiam respectu peccatorum venialium, ita remittuntur ei peccata per baptismum, vt nihil eum remore-

tur ab ingressu calorum, quod constat ex Florent. decreto de purgatorio, & ex Trident. sess. 6. cap. 14. & indicatur sess. 14. cap. 2. & 8. potestque peccatum alio etiam modo ita remitti, vt nulla pœna remaneat subeunda, cum hæc vis non conueniat baptismo ex solâ rei naturâ, sed ex diuinâ institutione, & nihil obstat quod minus Dominus Deus possit alteri rei vel actui similem virtutem annexere, imò de facto potest esse tam perfecta contritio, vt per illam simul cum culpâ tollatur omnis pœna & obligatio eam subeundi, hoc prænotato ad q. iuxta sensum S. Tho. intellectam Resp. cum eodem, primò remissa culpâ remitti reatum pœnæ æternæ. quæ conclusio certa est, tradita à Trid. sess. 6. cit. capite 14. probatur etiam ex cap. 7. eiusdem sessionis, ex quo constat quando alicui remittitur peccatum mortale, illi infundi gratiam, per quam admittitur ad diuinam amicitiam, & fit heres regni cœlestis, igitur pœna æterna eidem remittitur.

Resp. 2. remissa culpâ posse & interdum remanere pœnam temporalem persoluendam, hoc negant hæretici nostri temporis. sed est de fide definitum in Conc. Trid. sess. 6. canone 30. patet etiam ex veritate Purgatorii, ex Indulgentijs, & Sacramentali satisfactione, videri potest idem Tridentinum sess. 14. cap. 8. & Flor. decreto de purgatorio. ratio huius rei est ordinatio Dei, qui remissa culpâ & offensâ in eum commissa æternam pœnam commutat in temporalem subeundam in hac, vel futura vitâ, idque conuenienter naturis rerum iuxta sapientiæ suæ dispositionem, cum iustitia aliquo modo postulet, vt is, quialium offendit, non semper obtineat condonationem totius pœnæ, quando culpa ei remittitur, & ad alterius amicitiam admittitur, sed interdum remaneat obligatus ad aliquam subeundam, vt etiam hac ratione homines à peccatis reuocentur, vt Tridentinum sess. 14. cap. 8. citata.

Porro pœna, quæ relinquitur, non semper est equalis, tum quod sit congruum, vt Deus non tantam pœnam exigit ab eo, cui condonat vnum peccatum mortale, vel etiam minus graue, quantum exigit ab eo, cui remittit multa vel etiam graue: tum quod feruens contritio conducatur ad obtinendam remissionem maioris pœnæ temporalis, quam minus perfecta, quamuis non semper ratio- ne illius tota pœna remittatur.

Circa priorem responsionem potest dubitari an remissio pœnæ æternæ ita sit annexa remissioni culpæ, vt ne quidem per diuinam potentiam culpa remitti possit, quin condonetur pœna æterna? Resp. negatiue, & dico videri probabilis nullam inuoluere repugnantiam quod Deus alicui condonet offensam, eumque sibi reconciliet etiam per gratiæ infusionem, & nihilominus eum destinet ad pœnam æternam subeundam etiam ratione præcedentis peccati commissi, nisi specialiter alio titulo hæc pœna illi remittatur, id tamen non est ita consentaneum naturis rerum & in eo casu si hominem in æternum puniret, deberet multa facere præter communem rerum cursum, ne homo in medijs incendijs eum odio prosequeretur, blasphemaret &c.